



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 532. Pœnitentia pro quo hic supponat, & quotupliciter sumatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

arbitrio cenfct Clarus *L. 5. §. fin. q. 36. n. 31.* & Caftrop. homicidium qualificatum v. g. Prælati, Sacerdotis, patris, fratris, item Affaffinium, depriædationem communium bonorum &c.

Quæft. 531. An & à quo degradatus restitui poffit?

R Esp. primò: degradatus verbaliter ob delicta adulterio minora post peractam pœnitentiam restitui potest, non obstante infamiâ oritâ ex delicto per Episcopum, Caftrop. *n. 14.* idque citra consensum capituli, ut cum *gl. in c. cum ex eo. de elect. in 6. v. Episcop.* Decius *in c. at si Clerici. vers. de adulteriis. n. 20.* Roman. *conf. 325. in fine.* Alterius *Tom. 2. d. 2. q. 9. vers. quamvis.* Bonac. *Tom. 1. de cens. d. 4. p. unic.* Caftrop. *n. 15.* quia ut idem, nullus est textus in iure hunc consensum capituli exigens, cum *c. at si Clerici.* verba illa cum Clericis non activè, sed passivè sint accipienda:

2. Resp. secundò: iustè degradatum actualiter (in-

telligendum videtur, antequam traditus Curie (seculari) ob delicta adulterio graviora nullus præter Pontificem restituere potest, tum quia à gradu & statu Clericali omnino & irremissibiliter iure ordinario degradatus dejicitur, arg. *c. si laici. §. c. qui semel. dist. 50.* Bonac. *l. c. n. 1.* Caftrop. *num. 16.* si verò iniustè quis degradatus fuit, ipsi, qui sententiam tulit, incumbit eam emendare, adeoque, cum non solus Episcopus, sed simul cum eo Episcopi alii, Abbates vel personæ in dignitate constitutæ sententiam degradationis tulerint, simul per eos corrigenda sententia, Caftrop. *n. 16.* Arg. *c. Episcopus presbyter. 11. q. 3.* ut per quas causas nata est degradatio, per easdem dissolvatur, quævis addat non improbabiler Alterium *l. c.* cum Speculatore docere, solum Episcopum sententiam iniquè factam revocare & emendare, cum ejus muneris sit subditum iniustè gravatum defendere & injuriam ei irrogatam depellere.

TITULUS XXXVIII. De pœnitentiis & remissionibus.

Quæft. 532. Pœnitentia pro quò supponat, seu quotupliciter sumatur?

R Esp. Pœnitentia, si spectes etymon nominis, deducitur à pœna & pœnitere, significatque in genere juxta Isidorum *L. 3. etymolog. c. ult.* conversionem seu mutationem mentis, dum nempe pœnitit aliquem seu dolet quis de actu à se habito, vellèrque illum non commissum. Si verò spectes frequentiore ejus usum, lumitur seu supponit tripliciter; primò & convenientius suo etymo, prout est specialis virtus, quæ ex D. Thom. *3. p. q. 85. a. 2. §. 3.* describi solet: detestatio seu dolor animi de peccato commissio, quatenus illud est offensa seu injuria illata Deo, susceptus ex intentione compensandi & abolendi eam; vel si lubet loqui de pœnitentia habituali, dic: est habitus ad talem detestationem inclinans, de qua virtute quia Theologi Scholastici ex professo satis fusè tractare solent, pœnitentiam hoc modo acceptam præterimus, & ad Theologos remittimus. Sumitur secundò: prout est Sacramentum novæ Legis institutum à Christo, *Joan. 20. vers. 22.* pro reconciliatione hominis cum DEO per modum iudicii, continens in se dolorem, confessionem seu accusationem sui & satisfactionem, propter quam iudicii formam, etsi non desint Canonistæ fusè de ea tractantes, eam tamen quoque Theologis tam moralibus quàm Scholasticis quàm talem accuratè, ut solent, explanandam relinquimus, sumitur tertio: pro satisfactione, quæ DEO pro admiffa contra eum injuria & offensione, aut etiam justitiæ publicæ satisficit, adeoque ab ea præscindit, quæ tanquam pars integralis Sacramenti pœnitentiæ iungitur à Confessario, unde etiam pœnitentia, quæ satisfactio est, alia est privata seu occulta, quæ, ut dictum, imponitur pro peccatis secretis in actu confessionis Sacramentalis, alia publica, quæ imponitur & peragitur pro peccatis manifestis, de qua agitur in *c. manifest. h. t.* quarum alia est solennis, quæ præscribitur, in Concilio Agathensi relato in *c. 64. dist. 50.* olim iungi solita in initio quadragesimæ, servatis certis solennitatibus seu ritibus ibi expressis per solum Episcopum vel Sacerdotem de ejus

mandato non nisi pro peccato valde enormi, toti communitati scandaloso & pernicioso, & non nisi semel imponitur *c. 2. dist. 3. de pœnitent.* Host. *in Sum. h. t. n. 55.* Sylv. *v. pœnitent. q. 1. §. 2.* Publica verò, sed non solennis pœnitentia est, quæ fit publicè in facie Ecclesiæ cum dictis solennitatibus iure præscriptis v. g. si iungeretur alicui peregrinatio cum pera & baculo benedictis, quam non tantum imponere potest Episcopus, sed etiam quilibet Sacerdos & multò magis pœnitentiarius generalis Episcopi propter grave & publicum crimen, non tamen scandalosum, Sylv. & Pirh. *ll. cit.* Non tamen Clericis, non tantum solennis, sed nec publica pœnitentia est imponenda, nisi sint depositi, *Gl. in c. 1. h. t.* Sylv. Host. Pirh. *ll. cit.* sed nec confessarios pro peccatis publicis in confessione auditis posse imponere pœnitentias publicas, docet Nav. *in c. 2. de pœnit. à n. 87.* & in *man. Prælator. c. 8. n. 10.* quia vel sic revelaretur sigillum confessionis, nisi tamen pœnitens expressè vel tacitè consentiat, ut confessio Sacramentalis publicetur, & peccatum à se commissum revelari permittat, idque ob eam causam, ut DEO & populo, quem scandalizavit, satisfiat; sed cum matura deliberatione, quia nimirum peccatum est hujusmodi, ut peccantis correctio & aliorum emendatio publicam pœnitentiam requirat.

Quæft. 533. Quenam sit pœnitentia occidentis Presbyterum?

R Esp. Plectitur triplici pœnâ, nimirum primò: ut pœnitentiam agat 12. annis, v. g. jejunando certis diebus in hebdomade vel peregrinando aut aliud opus pœnitentiæ exercendo arbitrio prudentis confessarii. Secundò: ut privetur in perpetuum cingulo militari, & deponatur à dignitate sua, nec inter milites numeretur tanquam exauthoratus, Host. *in c. presbyterum. h. t. v. cingulo.* Abb. *ibid.* qui etiam inde infert, posse Judicem ecclesiasticum private laicum militiâ temporali, ut idem resolvit Palat. *in repet. c. per vestras de donat. inter vir. §. uxor. notab. 2. §. 1. n. 5.* extenduntque id ipsum ad milites Ordinum militarium. Roderiq. *gg. regul. q. 62.*